



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

caput septimum. Quales & è quo hominum genere fuerint primi novi  
Evangelii in Galliis ministri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

theranus irridens, si Catapaptistæ, inquit, eorum qui in Belgio occisi sunt, inire velint numerum, multo majorem fore. Esto: è Calvini schola prodeuntes quidam maleconfulti discipuli ignis supplicio seipfos objecerunt. Idè certe & olim Anabaptistæ fecerunt, & hodie non minus alacriter faciunt, divinis laudibus martyres suos ad cælum usq; efferentes. Calvino Genevæ septis se continēt, facile fuit miseris illos ac stultos, qui in diversis Christiani Orbis partibus etiam cum vitæ dispendio magistri deliria propugnabāt, his ac similibus verbis animare: Bono animo estote, fratres. Alacriter ad ignē pergite: nullum supplicium aut dolorē formidate. Hæc via regia ad cælum est. Ecce Christum expansis brachiis vos expectantem, & ad æterna gaudia vobis præparata introducere gestiētem. Interim vero bonus ille vir cuti suæ metuens, loco sibi canit, Genevæ mœnibus se includens, neque umquam inde egressus, ne vitæ periculum adiret quod alios fortiter contempere jubebat. De quo facete Ronfardus Poeta Gallicus sic ludit:

*Calvinus annis obitus dudum, quid est  
Quod se Genevæ continet, nec Franciam  
Adit, ut honorem martyris quarat sibi:  
Illos Tragædos nempe homo ignavissimus  
Imitatur, alios qui subornant, scenicas  
Partes peracturos; popello fabula  
Vt si minus probetur, ipsi non tamen  
Exhibentur, aut sicut ludibrio.*

QVALES ET È QVO HOMINVM GENE-  
re fuerint primi novi Evangelii in  
Galliis Ministri.

CAPUT SEPTIMUM.

ARGUMENTVM.

- I. Primi in Galliis Lutherani homines ex vulgi se-  
ceptiorique omnes fuerunt.
- II. Primus novi Evangelii in Galliis Minister lane  
carminator.
- III. S. Scripturæ libri ab hæreticis vulgo ad legēdū dātī.
- IV. Vulgus à sacrarum literarum tractatione abstinere  
debet.
- V. Apud hæreticos etiam feminae Ministeriis Eccle-  
siasticis fungendis se ingerunt.
- VI. Quam indignum sit, libros sacros in vulgi officinis  
& passim profanari.

QVINOVAE Ecclesiæ è variis centonibus novā  
pro suo lubitu confarinarunt Ecclesiasticā

Historiā, ajunt, quemadmodum Deus per res Mun-  
di contemtas & abiectissimas ejusdem superbiā &  
arrogantiam proculcare voluerit, dum scilicet nō  
Reges aut Principes, sed pauperculos ac rudes pis-  
catores elegit, qui Evangelium Mundo annuncia-  
rent, sic eundem veram sapientiam ac divini Verbi  
cognitionē, sapientibus ac doctis hujus sæculi ab-  
scōditā, simplicibus & indoctis revelasse. Primos  
enim qui Evangelicæ veritatis cognitionem acce-  
perint, homines de plebe, & mechanicis artibus vi-  
tā sustentantes fuisse: adeoq; multos qui nullā artē  
antea quam mechanicam tractarint, aut terrā ara-  
tro profciderint, repēte eximios factos esse Theo-  
logos. His tamquam gēmis quum illa Pseudomar-  
tyrologia, tum Ecclesiasticæ Historiæ libri, passim  
distincti atq; exornati sunt. Alios videas docentes,  
alios catechizantes, alios prædicantes, alios evan-  
gelizantes, omnes propriam sibi quisq; Fidem suo  
marte eudentes, S. Scripturam ad suum sensum de-  
torquentes, sacro ministerio sine ulla legitima vo-  
catione se ingerentes, & illotis manibus sacra tra-  
ctātes; alios ab aliis ad prædicandum Evangelium  
deputatos ac missos, omnes vero pari ignorantia  
irretitos, omni solida SS. litterarum cognitione de-  
stitutos, & in incerto stultarum, erronearū ac fal-  
sitarum opinionum, ac sui cerebri cōmentorū fallo  
fluctuantes. Quod si forte in aliqua re aliqua eis  
rationis lux illuceat, profecto idē illis accidit quod  
iis qui tenuissimum Lunæ nubibus obrectæ lumē  
adspiciunt. Ecce certe similis est ignorantia illis spe-  
culis, quæ omnium objectorum imagines falsas, ac  
vero multo majores repræsētat. Et sicut olim apud  
Judæos Scribæ ac Pharisei Mosaicā legē prædica-  
bant, viā tamen suæ ipsorū salutis ignorabant; sic  
nostri hi nihil frequentius in ore habent quā Iesum  
Christi nomē, nihil tamen minus quā Iesum Chri-  
stū agnoscunt. Similis fuit olim Waldensū hære-  
ticorum ignorantia, quam nostro sæculo renatam  
videmus. Vt enim in arboribus quibusdā & flores  
ac fructus uno atq; eodē die enascuntur ac cadūt;  
sic ex rusticis atq; imperitissimis hominibus re-  
pente scholares, Baccalauri atq; Doctores, si diis  
placet, facti sunt. VValdus homo bonarum artium  
atq; litterarum ignarus, postquam S. Biblia in vul-  
garē linguam Gallicam traduci curavit, certatin  
omnes dies noctesq; eorum lectiōi incubuerunt,  
adeo ut quidam integros libros memoriter tene-  
rent Idem de repentinis ejusmodi, & à mane ad  
vesperam natis Doctoribus reformatorū nostrorū  
Ecclesiastica prodit Historia. Vix illi à primo limi-  
ne lit.

ne litteras salutarunt: & ecce tibi statim peritissimos Grammaticos! Iidem ne rudimenta quidem Grammaticæ sciunt: & ecce tibi Rhetores argutissimos! Quinque nec Logices præcepta, nec rei naturalis scientiæ vel primoribus labris degustarint, magni tamen Philosophi videri volūt: Philosophi quidem sine ulla Philosophiæ, & Theologi sine ulla primorum Theologiæ fundamentorū cognitioni. Inter alios ibidem exemplum ponitur rustici cujusdā, qui quum neque ipsas litterarum figuras agnoscere posset ac discernere, Novum Testamentum ab aliis prælegi sibi curavit; deinde litterarum characteres imitatus, textum Latinum cum Gallico verbatim contulit, atque assiduo labore perfecit, ut testimonia quæ veller, è SS. literis proferre sciret, familiamque suam erudiret, ac Papisticos Sacerdotes facile refutaret, ut prædicta Ecclesiastica loquitur Historia. Sed ecce tibi alterum, cujus Beza facit mentionem, hominem ejusdem farinae.

II. Ioānes Clericus, inquit, lanæ carminator fuit in oppido Meldensi, qui singulari zelo inflamatus, & Dei cognitione, quā ex Bibliis tunc utcumque in Gallicā linguā translatis hausit, instructus, primus in dicto oppido, An. MDCXXV. Antichristo sese opposuit, & Ecclesiæ florentissimæ, quæ postea ibi fuit, inter suæ cōditionis homines fundamenta jecit, ubi etiā tandē fuit combustus. Ecce tibi lanæ carminatorē, primum novæ Ecclesiæ architectum & fundatorem. Ecce tibi primum ejusdē in Gallia martyre Sic enim appellant illos, qui ob erroris pertinaciam supplicio sunt affecti: de quibus singulari capite libro VII. dicam. Idem aliquot ante annos in eodē oppido flagris cæsus fuerat: ut inde exclamare reformati nostri Historici non dubitēt, Meldensem urbem hoc nomine gloriari posse, quod martyrum primitias Deo obtulerit. Nescio equidem an ex impuri hujus cineribus vel cadavere longo post tēpore alius quidā Petrus Clericus, nō magis hoc nomine dignus quā ille enatus sit, ut nomine, ita arte eundē hunc referens: quippe qui & ipse lanæ fuerit carminator. Ille quidem, Ioannes nempe, primus fuit, cui Historici primi in Gallia Ministri titulū tribuunt. Is enim Lector Ministerii apud Pictonas fuit: cui titulus iste ab eo collatus fuit, qui revera summū Pontificatū supra Lutheranos Gallia postea tū sibi usurpabat, & eorū non fidē carum verum etiam nomina mutabat, ut non multo post dicitur, ubi novi hujus nominis etymologia & ratio à nobis explicabitur. Novum vero dico, in hac significatione qua pro Ecclesiæ Pastore accipitur,

Arqui in nova Ecclesia nihil non novū esse oportebat. Petrus hic Clericus primus è suggestu novū Evangelium docuit, & difformē quandam reformatæ Ecclesiæ formam à se collectæ concinnavit. *Et tempore, ut loquitur eadem Historia, forma quæ dā Ecclesiæ in oppido Meldensi constituta est, quæ cirves quidam & inquilini, post jejunia & preces, Ministerium sibi elegerunt quendam Petrum Clericum nomine, arte quidem seu officio lana carminatorem, sed qui præter vitæ integritatē in SS. literis valde erat exercitatus, quāvis nullius quā Gallicæ linguæ haberet notitiam: cujus sedulo infidelium cœtu prædicantis & Sacramenta administrantis Ministerio Deus ita benedixit, ut multis undiq; è pagis accurrentibus, brevè circiter quadringenti utriusq; sexus homines numerati fuerint, eoque multitudinem duodecim latere non possent.* Vides hic, si istis credimus, primū Evangelii in Gallia Ministerium. Petrum Clericum: insignē certe Clericum, & non nomine hoc tantum, sed & statua dignum, ut qui nullius quam vernaculæ sibi linguæ cognitionem habuerit, & interim dum lanā carminat & fila ducit, grandis Theologus affectus, & à suæ artis & farinae seminibus, fullonibus textoribus, sartoribus ad Ministeriū vocatus fuit. Numquid homines isti tam sibi quam aliis illudere, aut à Deo sensu communi privati videntur, quicentones suos tam male confutos, atque adeo turpitudinem suam ultro ostendunt? Quasi vero in domo Dei in plebis vel etiam singulorum sit potestate, Ecclesiasticum sibi constituere magistratum, Episcopos & Pastores eligere: quum Apostoli, immò ipse Salvator noster in nullo alio quam ejus à quo missi essent nomine, audiri voluerint, suamque missionem infallibilibus argumentis demonstrarint. Multos alios ejusdē farinae homines, cæmentarios, carpentarios, futores, sartores, scriptarios, & id genus omitto, qui Argētorato, Tiguro aut Geneva reversi, & Spiritus S. scilicet, illustrati, novū Evangelium prædicarunt, novellas ecclesiolas passim plantarunt, Pastores cōstituerūt, & Māducationē (sic enim Cœnā Domini primitus appellabant) administrarūt: cujus ritus ac ceremonias postea describā. Verū ne sine ratione insanire videantur, ajunt suaves isti homines, permissum esse cui-libet docere, & in convertēdis infidelibus laborare. Fatemur hoc sane: sed unde, quæso, probabitur, post conversionē infidelium licere privatis hominibus suo arbitratu sibi Ecclesiā cōstituere, ejusq; architecturā, ut ita dicam, & imperium sibi arrogare? B contrario sane legimus ab Ecclesia Hierosolymitana, postquā auditum esset de iis qui ad Dominū

conversi

conuersi fuerant, Barnabam missum, qui eos Antiochiam conduceret, vbi primum illa fidelium multitudo Ecclesia appellata fuit: nec quisquam, nisi hæreticus, sine legitima missione, titulum aut ministerij in domo Dei munus usurpauit.

Potro Meldensis illa Ecclesia, à Farello, Fabro, & Rufo, vt supra diximus, primitus collecta, non multo post dissipata est, Lutheranis dum cœtus ibi suos carminatore duce habent, comprehensis, & Lutetiam obductis, plerisque etiam mortis supplicio affectis, ac reliquis per meliorem instructionem ab errore reuocatis. Sed horum omnium supplicia & ardeantes illos rogos, sempiterni illius ignis hæreticis præparati, præcursores, hoc loco representare consilium mihi non est, exposituro tantum, quanta cū pertinacia illi ad mortem vsque perseuerarint, vt scilicet hoc colore malam suam vitam celarent. At qui, si Cypriano credimus, id genus homines non martyrij accipiunt coronam, sed diuisionis suæ pœnam luunt; nec eorum supplicia religionis zelo, sed desperationi potius adscribenda sunt.

III. Vti Lutherus in dicto Ecclesiæ bello S. scripturam promiscuæ multitudini legendam obiecit, vnde momento temporis tot hæreses natas ac denatas vidimus. hoc eodem artificio vsi sunt primi in Gallia nostra. Schismatis auctores, vt qui incredibili diligentia, nullis parcentes sumptibus, SS. Biblia ad ipsorum gustum in Gallicam linguam traducta, diuersis locis magno numero excudi curarunt. Inter hos Robertus quidam Oliuetanus, An. M. DXXXV. ab hæreticis VValdensibus, hinc inde in vallibus quibusdā Prouinciæ latèribus, inductus, primus translationi manus admouisse dicitur. cuius versio eorundem sumptibus Nouicastrum apud Heluetios excusa est. Testatur Beza, mercator est quendā nostri temporis, Petrus Bufferum nomine, fortunas suas omnes vendidisse, & in SS. librorum editionem impendisse. Illecti mox lucri cupiditate complures tam in Gallia quàm Germania Typographi, certatim ad eam rem operas suas obtulerunt: quibus tot Bibliorum editiones, tot Catechismos, Clypeos fidei, Anatomias, & id genus scripta debemus: & in primis Psalmorum illum in thymos redactorum libellum, qui passim apud hæreticos arida pumice expolitus, inauratus, & varia forma atque cultu ornatus assiduis manibus circumfertur: cuius vel sola elegantia, feminas præsertim, ad emendum ac legendum inuitat. Et quemadmodum avari mercatores parui lucelli spe non longinqua tantum itinera suscipiunt, verum etiam maris tempestatibus ac mil-

le periculis sese obijciunt: sic famelici quidam typographi, degustata primi quod perciperat lucri dulcedine, vt tanto faciliore sibi tam in oppidis quam rure ad Nobilium ædes haberent accessum, tanquam insitiores inter friuola & crepundia quæ circūferrebant, libellos eiusmodi absconderebant, quos deinde mulierculis aut alijs curiosis hominibus clā donabant, & vt in occulto haberent rogabant, quo tanto illi magis ad lectionem eorum accenderentur. Ex his Circumcellionibus & malarum mercium institoribus permulti deprehensi & in ignem coniecti sunt, eò quod leges à Rege & magistratibus latus violassent. Suauis sunt Ecclesiasticæ toties à nobis citatæ Historiæ consarcinatores, quādo frinolarios eiusmodi velut Cicerones quosdā & Demosthenes, in Curijs magna omnium admiratione & stupore perorantes faciunt. Inter alios aitunt, Ioannem Chaborium quendā, librorum quos Geneva apportauit, at venditorem, graui & erudita ad Consiliarios Curiam habita oratione, audientium animos vehementer commouisse: cui etiam cum tribus Sorbonæ Doctoribus disputandi permissa fuerit facultas, quā tamen illi defugerint. O insignem vanitatem! Sed eiusmodi non minus falsis quàm vanis narrationibus libri istorum referti sunt, in quibus etiam imperitis librarijs & idiotis Ministrorum & Ecclesiæ Fundatorum tituli tribuuntur. Illorum vero hominum opera breui ingens librorum Novi Testamenti in vulgare linguam miserabiliter translata copia Galliam inundauit, sancto Dei verbo, omnis generis & conditionis hominibus, feminis, pueris, ac ceteris, diuina ista mysteria quæ sub litterarum cortice latent, nequaquam capientibus, turpiter prostituta. Quid vero hoc aliud est, quam gladium furioso in manus dare, quod non alios tantum, sed seipsum quoque occidat? Sicut enim gladius offendit ac defendit, prout scilicet tractatur sic S. Scriptura & vitā dat & adimit, prout ea quis vitatur. Sapiens mater Ecclesia periculosum esse semper indicauit, promiscue omnibus SS. litteras tractandi facere potestatem: ea in re proficorum hominum, qui factam testam religionem suam conseruare studuerunt, prudentiam imitata. Hebræi quidem ante trigessimum ætatis annum ad Geneseos & Cantici Cantorum lectionem neminem admittunt, veriti ne quis verbis aut exemplis inde petitis abutatur: vt S. Hieronymus auctor est. Et Deus ipse Esdræ mandat, vt partem doctrinæ suæ promulget, partem alteram in occulto habeat. Trismegistus ille Mercurius ait, Nullam eos habere religionem qui diuina mysteria vulgo prostituunt.

H h

Idem.

Idem frequenter in caelesti sua Hierarchia inculcat S. Dionysius Hebræorū exemplū imitari sunt plerique omnes, qui salutaribus regulis & legibus Republicas suas munire ac conformare satagerunt: quamuis obscura tantum, & velut per transeennam aut nubem transparentē naturalis cogitationis luce essent illustrati. Diuinus ille Plato in epistola quadā ad Dionysium tyrannū de sacris quibusdam mysterijs disputans, rogat vt eam statim concerpāt, ne forte in vulgi manus incidat. Idē VII. legū suarū cauīt, ne quisquam scriptum aut librum quemcunque, inconsulto magistratu cōponeret, recitaret, aut promulgaret, ne quid inde religio caperet detrimenti. Idē Pythagoras, Socrates, Aristoxenes, inuolubiliter obseruauit. Plotinus quidē iuramento se obstrinxit, se numquam quæ ab Ammonio didicisset propalaturū: quod quum violasset, phibitiam miserabiliter perijt, vt Porphyrius testatur. Sed quid multis opus est? Saluatoris nostri inuicemur exemplū qui de regno cælorum mysteria Apostolis reuelauit, ad ceteros vero parabolas loquutus est. Et idem monet, ne margaritas ante porcōs proiciamus. Ad quid vero opus fuisse? Apostolis, sacerdotibus, & Ecclesiæ Doctoribus, quos Deus, vt Scriptura testatur, ad legendū ordinauit, si SS. litterarū tractatio atque interpretatio non minus ad alios, etiam feminas & opifices, quam ad hos pertineret? Dedit Deus iam olim Ecclesiæ suæ, & adhuc dat Legatos, quorum vocem tantum, non vero illorum pseudoapostolorum, qui Legationis suæ fidem facere non possunt, quiq; seditionis potius incentores sunt, ad omni scelere, impietate & sacrilegio vexandam Ecclesiā ab ipso inferno summissi, exaudire nos oportet. In hanc sententiā pulcre atq; apposite inquit S. Cyprianus, Rudi ac simplici plebi ne quaquam permittendum esse, vt suo Marte S. scripturam legat, sed eos audiendos esse qui interpretandi habent auctoritatem. Qui CIII. S. Hieronymi Epistolam legerit, facile quo nouos hos & repentinos theologos, illotis manibus tam sacrā scientiam tractantes, refuter habebit: vbi sic loquitur: *Agricola, camētarij fabri met allorū, lignorū, ve cafores, lanarij quoq; & fullones, & ceteri, qui variā supelletiliam & vilia opuscula fabricantur, absq; doctore non possunt esse quod cupiunt. Quod medicorum est, promittunt medici: tractant fabrilis fabri. Sola scripturarū ars est quam sibi omnes passim vindicant. Hanc garrulatus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc vniuersi praesumunt, lacerant, docent antequam discant. Alij adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter*

*mulierculas de S. litteris philosophantur. Alij discunt, pro pudor! à feminis quod viros doceant: & ne parum hoc sit, quandā facilitate verborum, immo audacia edisserunt alijs quod ipsi non intelligunt. Et, quælo te, vnde plerisque omnes hæreses & dogmata iniquitatis nata putas, quam ex deprauato S. Scripturæ sensu, ac nimis audaci, immo peruersa ac plane contraria verborum interpretatione.*

V. Quod si S. hic pater adhuc in viuis esset, & sacra profana omnia susque deque habita atq; inter se confusa cerneret, multo magis sane exclamaturus ac saculi nostri peruersitatē detestaturus sit: vt in quo feminæ passim nō tantū Theologia scientiā affectare, verū etiā palā S. Ministerij officia exercere visæ sunt. Annō Vrfula quæ dā in Germania, Lutheri tempore, suggestum conscendit, atq; inde de rebus sacris ac religionis controuersijs ad populū declamauit? Idem in Scotia altera quæpiam fecit, vt Lægæus in Lutheri vita testatur: & alia quædam in Bohemia, Hussitarum secta grassante, vt librol V. à nobis indicatum est. Qui sub primis hæreseos in Gallia initijs Iustra & spelæa frequentarūt, quorū nonnulli adhuc sunt superstites, norūt quid ibi actum sit: quum scilicet inter feminas quæ plus sapere sibi videbatur, dum Ministri expectatur aduentus, ex SS. Biblijs textū aliquē prælegit, suamq; deinde sententiā subiunxit. Illæ certe quæ pœnarū metu hinc à nobis Geneuā profugerūt, Theodoro Beza in disciplina se tradiderūt, qui singulis diebus horā vnā earū institutioni impedit, vt in acula lingua textum aliquem S. Scripturæ interpretatus: quod idē antea quoq; Lausanae fecerat. Gallienī Imperatoris tēpore feminæ quæ dā Plotini Philof. scholā frequētasse dicuntur: quod quidē ego aliquo modo tolerandū esse arbitror, ob liberaliū artium curiositatē. Neq; sane eas ego vt hemeter reprehēdēdas ac dānandas existimo, quæ S. Scripturæ lectioni sūt deditæ, atq; in eius allegādis testimonijs bene exercitæ: vt vero publica obeāt in Ecclesiā ministeria, ferri nullo modo potest, quum in eorū tantū modestiæ sexui huic cōgruētis limites transiliant, verū etiā leges ab Ecclesiā præscriptas violent, quibus expresse in Ecclesiā loqui prohibētur. Silentiiu feminarū est lectio, cuius curum, vt veteri verbo dicitur, est præmiū. Harpocrates certe, ille iuratus loquacitatis hostis, inquit, si rupturā filij multa luere feminæ cogērentur, breui omnibus bonis eas cessuras, vt quibus silentiam crudelis gehennæ est loco. Apostoli mulieres, vti diximus, in Ecclesiā loqui prohibuerunt: at longe alia ratione saculi

ſæculi noſtri Reformatores, vtuntur. Non longe a-  
 bibo, nec quorum memoria iam dudum ſepulta eſt &  
 obruta, exempla in lucem producam. Meminerunt  
 multi etiam nunc ſuperſtites, in morte Marſano (quod  
 Aquitaniæ eſt oppidum non incelebre) An. M. D.  
 LXXXII. feminam quandam Gutteriam Bordenauia  
 nomine, Blaſij de Braheane vxorem, e ſuggeſtu au-  
 ditoribus interea dum Miniſter exſpectatur, e Bi-  
 blijs aliquid prælegere ſolitam. Aliam vero Clau-  
 diam Aſiſtantiam nomine, cauſi dico cuidam eiufdẽ  
 oppidi cui nuptam, Theologiae profeſſionem ita  
 ſibi vindicantem, vt Miniſtrũ ſæpe reprehenderet  
 atque erroris inſimularet. Quin eadem nõ Diaconi  
 tantum munus uſurpauit, verum etiam de Præde-  
 ſtinatione librũ ſcripſit, Regis ſorori, qua Ducu Ba-  
 renſi poſtea nupit, dedicatũ, vt quũ A. M. D. XCII.  
 in Galliam illa iter faceret, imprimeretur. Et quia  
 in huius rementionem inci, vt ſcilicet miſera-  
 bilem nouitiæ Eccleſiæ confuſionem explicẽ, inde  
 ortam quod laicis atq; idiotis ſſ. librorum lectio-  
 nem promiſcuae permiferunt, vnum aut alterũ exẽ-  
 plum adhuc addam, ridicula quidem, ralia tamen  
 quæ ſuam etiam habeant vtilitatem. Muliercula  
 quædam quum XXV. caput Eccleſiaſtici, in quo  
 feminarum malicia viuus depingitur coloribus, le-  
 gi auდიſſet: Quid, inquit, an hoc Dei ſit verbũ? Ego  
 certe diaboli opinor. Memini in Curia noſtra Bur-  
 digaleni olim militem quandam reformatæ, ſcili-  
 cet, religionis, accuſatum, quod hiftoriam de Ba-  
 laamo legi audiens, in hæc verba erupit: Eũ aũ-  
 no multo ſtolidiorem, qui credat beſtiam loquutã  
 eſſe. Fabulas eſſe & nugas meras. Quid vero homo  
 eiufmodi, vix ea quæ ante pedes ſunt videns, de  
 multis alijs S. ſcripturæ locis dicturus ſit? An Oeco-  
 lampadium hæc in re imitabimur, dicere non verẽ  
 tem in S. ſcriptura contradictiones reperiri? Super  
 quo Lutherus exclamat: *Ecce in quam horribiles er-  
 rores diabolus etiam homines eruditos abripit.* Atqui õ  
 Martine tuam ipſus inſpice manticã, & quam ne-  
 farie libro S. Iobi, & D. Iacobi epiſtolæ illuſeris, re-  
 uolue. Ille quidẽ, de quo paulo ante diximus, mi-  
 les credere nõ potuit, aſinã loquutã eſſe: quid ſi a-  
 lius credat iumẽta ſaluari? quum Deus expreſſe per  
 prophetam dicat, velle ſe vt homines ac iumẽta ſal-  
 ueatur. Quid enim mirũ, ſi quomodo hæc verba  
 intelligẽda ſint, ſimplex aliquis & litterarũ ignarus  
 neſciat, quum ea à me allegata etiam Miniſter qui-  
 dã recte ac genuine interpretari nõ potuerit: alius  
 vero per iumẽta feminas intelligendas aſſeuerarit?  
 Noui feminã grauitèr inde offenſam, quod in Can-

triciſ Salomon legiſſet: *Nigra ſũ, ſed formoſa, filia Hieruſalẽ, &c.* ac propterea amauit me, & *Introduxit me in cellaria ſua* Super quibus illa verbis pulchre admodũ & ſingulari ingenij acumine philoſophabatur.

Porro vernaculæ hæc lingua, in quam S. ſcriptu-  
 ra paſſim traducta circumfertur, multis tamẽ diffi-  
 cultatibus ac nubibus inuolutæ facilitas (vt patet  
 ex rara hæreticorũ multitudine, qui omnes, S. Au-  
 guſtino teſte, in hæreſin ideo delapſi ſunt, quod S.  
 ſcripturæ verum ſenſũ ſe habere inaniter præſũ-  
 perint) illa, in quã, vernaculæ linguæ facilitas mul-  
 torũ animis ſcrupuloſane nõ exiguos iniecit, atq;  
 Eccleſiã magnopere perturbauit. Numquid enim  
 vidimus mercatorem ad abacũ ſuum ſedentem ad  
 ſui iudicij lancem, fabũ ad ſuam normam, pæda-  
 gogũ ad Grammaticæ, Medicum ad Philoſophiæ  
 leges S. ſcripturæ dicta expendentes? Quin etiam,  
 vt ſupra diximus, etiam mulierculæ, quaſi de colu-  
 ac lana res eſſet, iudicium ſibi ac cenſuram de S.  
 ſcripturæ interpretatione ſuſceperũt. O rem indignam  
 ac pudendam! Videre paſſim etiam in cau-  
 ponis ſſ. Biblia abaco expoſita; & ſacra vaſa ab il-  
 lotis & immundis manibus tractari. Operæ preci-  
 um eſt, quid nuper Theologus, vir tamen noſtri  
 ſæculi doctiſſimus, hæc de re ſenſerit, explicare. *Ab  
 omni, inquit, ratione abhorret, quod libros ſacros, reli-  
 gionis noſtra ſacraſſima myſteria continentes, illoſ paſ-  
 ſim manibus verſari videmus. Tam ſerium ac venera-  
 bile ſtudiũ non ita perfunctorie ac leui velut brachio tra-  
 ctari debet. Totum illud hominem & actionem deſtinatã  
 ac quietam deſiderat: in cuius auſpiciatione illa ex diuino  
 Miſſa officio verba, Surſum corda, quotidie uſurpanda  
 ac repetenda, atque corpus etiam ita componendum mo-  
 vesq; ac geſtus ad eum modum temperandi ſunt, vt om-  
 nia ſingularem quandam attentionem ac reuerentiam  
 reſtentur. Credo equidem, adiungit idem, libertatem  
 illam ſiue licentiam tam religioſam atq; arduam Scrip-  
 turam in varias linguas transferendi atque interpretan-  
 di, plus periculi quam vtilitatis habere. Sed caput  
 hoc pulcherrima Tertulliani ſententia conclu-  
 damus, monentis, vt ſi S. ſcripturam recte intelli-  
 gere ac veritatem cognoscere cupiamus, regulam  
 ab Eccleſia nobis præſcriptam accurate obſerue-  
 mus; quam eadem ab Apoſtoliſ, Apoſtoliã Ie-  
 ſu Chriſto, Ieſu Chriſtus ab ipſo Patre acce-  
 pit. Quid enim, inquit S. Auguſtinus, ad rem  
 tam altam ac profundam intelligendam, melius  
 ac curius confugere poſſumus quam ad Eccleſiã,  
 quæ falli ac decipi non poteſt? Sed ne lectorem  
 diutius detineam, tempus ſane eſt vt quis ac qualis*

Joannes Calvinus, ille miserandi in Gallia Schif-  
matis præcipua fax atq; auctor, fuerit, ostendā qui-  
dam alij passim veram Jesu Christi Ecclesiam qua-  
runt, illum à se in ventram, & è ruderibus quasi eru-  
ram, & super montem illo, omnibus conspicuo lo-  
co, expositam ac restauratam esse iactat. Et quem-  
admodum Bohemi Hussium, Germani Lutherum,  
Helvetij Zuingliū, Angli Buceriū, Scoti Cnoxiiū,  
Dani Bugenhagium, Livoni Pellionem, Transyl-  
vanij Blandratam, restaurati apud se Evange-  
lij auctores faciunt; sic Galli Calvinum eundem se  
honorem ac gloriam debere profitentur.

JOANNIS CALVINI NATALIS  
& iudicium ex themate ejus Genethliaco  
sumptum.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

- I. Homines de schola primi Lutheranismum in Gallia seminarunt.
- II. In varias sectas & factiones misere distrahuntur.
- III. Joannes Calvinus, Gallus & Lutherus.
- IV. Ejus natiuitas & horoscopus.
- V. Genethliacorum coniectura seu prædictiones.
- VI. Calvinum supremi Pontificatus dignitas in Natiuitate promissa.

**T**ertullianus, postquam hæreticos veris co-  
loribus depinxit, & in veterum illorum pi-  
ctura novitiorum mores ad vivum expressit, recte  
ac bene inquit, Philosophos, eorum qui Ecclesie  
pacem ac concordiam primi turbant, Patriar-  
chas veluti atque antesignanos fuisse. Idem nos  
de sæculo nostro perverso dicere possumus: nem-  
pe primos hæreses parentes atque auctores fuisse  
homines de schola, Gramaticos magis, Philoso-  
phie aut Mathematicarū scientiarū quam Theo-  
logie peritos. Libros illi legebant, linguas in-  
telligebant, sed non sapientiam. Aristotelis calle-  
bant subtilitates, at à Divo paulo, tradita myste-  
ria non capiebant. Recte quidam Philosophiam,  
Humanam, Theologiā, divinam sapientiam ap-  
pellavit. Hanc si intelligendā, ut fidem ei habeas.  
Quot dum alios perdunt, se ipsos quoque perdid-  
erunt. Videre id est in multis Philosophis, qui velut  
Pelion Offa, & utrumque Olympo imponentes,  
scilicet conscendere, in sacrarium Dei irrumperē

& incomprehensibilia Dei mysteria, ac divinorū  
operum causas ac rationes perferunt auri sunt,  
Miseri! qui instar Dædali cereis penis ad solem e-  
volare non dubitant, quibus lique factis in mare  
decidentes, misere submergantur & pereant. Sic  
Thales astra eorumque motus è terra fixis in cœ-  
lum oculis contemplatus, in foveam pedibus sub-  
iecit, nec tamen à se visam, præcipitavit. Sic Em-  
pedocles, dum Ætæzi incendij causas propius ex-  
plorat, eiusdem flammis absumptus est. Et Aristot-  
eles quod Euripi sive marini fluxus ac refluxus  
causas indagare non posset, & perijisse in eo fertur.  
Quid de Tertulliano, Origine, & alijs dicam? qui  
quum iam in ipso fere salutis portu extra omne tē-  
pestatis periculum versari viderentur, quia tamen  
opinionibus suis nimium velificati sunt, atque er-  
rorum fluctibus sese exposerunt, triste sane nau-  
fragium eos fecisse, & ad perpetuam suā infamiā,  
sectis nomina dedisse videmus. Hinc olim Orig-  
enista, Valentiniani, Montanista, Marcionista, Her-  
mogenianii, & nostro tempore Melanchthoniani,  
& alij eiusdē farinae. Supra indicavimus qui & quā  
multi Grammaticuli ac magistrelli sive Philosophas-  
tri, sub primis Lutheranismi incunabulis in Gal-  
liam irrepserint, ac modo in propatulo se ostende-  
runt, modo hinc inde rursus in latebras sese abdi-  
derunt, qui tamen omnes omni conatu nullū cer-  
tum ac firmum invisibilis suæ Ecclesie fundamen-  
tum ponere diu potuerunt; instabilitatum &  
fluctuanti arenæ inædificantes, ac velut contris &  
incerta opinionum vada explorantes, & veluti in  
tenebris palpantes.

II. Suas quisque opiniones, seu cerebri commē-  
ta sequebatur, aliorum vero dogmata fastidiebat.  
Unus Lutheri, alius Zuinglij partibus ad stipula-  
tur; hic Melanchthonis, ille Oecolampadij, alius  
Buceri probabat opiniones. Ut paucis dicam, novi-  
tia illa fides vagabunda, sine capite, sine pedibus,  
sine ullo certo fundamento fluctuabat atque erra-  
bat. Erratici huius agminis in Aquitania nostra an-  
tecursores veluti fuerunt Faber & Rufus, qui primi  
Ecclesiam assilierunt; sequente eos longo Gram-  
maticorū ac magistrellorum agmine, ut paulo ante  
dixi. Ex omnibus tamen nemo tantæ erat audaciæ,  
qui, ut Lutherus in Germania, ipsa Ecclesie funda-  
menta auderet cōvellere, quū separationē illam ab  
Ecclesia, & novæ Fidei fabricationem, plenam evi-  
dentissimi periculi esse omnes iudicarent. Satis  
putantes, intra veritate cariosam Ecclesie do-  
mum, vel parietinas potius se continere,  
quam